

### XLVIII.

Ex his tribus principiis & quatuor Elementis omnia perfectè mixta corpora constant: ubi vero Elementis non omnibus admiscuntur hæc principia omnia, vel principia non omnia omnibus Elementis, vel non omnibus Elementis non omnia principia, producuntur corpora imperfectè mixta, ut pluvie coloratae vel odoratae, nebulae foetidae.

### XLIX.

Quare nec Elementa sola ad constitutionem corporum mixtorum, nec modò dicta principia sufficiunt, sed ex illis misto tribuitur, caliditas, frigiditas, humiditas, siccitas, vel ex harum combinatione orta temperies; ex his vero odores, colores, sapes, esse  $\phi\lambda\omicron\gamma\iota\sigma\tau\upsilon$  &c. misto accedunt.

### L.

Quivis ergo facilè perspicit, qua ratione Chymicorum principia accipienda, videlicet non, ut Paracelsus, & alii volunt, ipsis Elementis priora sunt, multo minus ipsi cælo materiam præbent, sed potius sunt prima corpora mista: quia tamen id eo à Deo condita sunt, ut cum Elementis variè mista varias etiam rerum naturalium species producant, idcirco & in eodem sensu quo Elementa ( licet hæc simpliciora sint ) principia dicuntur.

### LI.

Atque hoc quomodo cum antiquorum doctrina etiam conveniat, evidenter docet *Excell. Dn. Præses libro sæpius citato.*

### LII.

His ergo nostram de Chymia natura & principiis Chymicis dissertationem concludimus, in qua quidem saniores Doctissimorum Virorum opiniones potius recensere, quam intricata & confusa plerorumq; vulgariū Chymicorum dogmata fusius explicare placuit. Annuat  
Deus conamini.